



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Divi Bambergenses S. Henricvs Imperator S. Kvnegvndis
Imperatrix S. Otho Episcopvs**

Gretser, Jacob

Ingolstadii, 1611

XXIIX. Quomodo pueri pueros attraxerint, & de patre qui domo aberat.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41527

expedit. Vt enim salui essent homines & precio conduxit, & verbo instruxit, rudesque alumnos & spiritualibus documentis informabat, & corporalibus beneficiis conciliabat.

Sesfidus. Optimè animaduertisti. Sed quanto scènore denaria sua in thesauros Domini sui aliquoties congesserit, ex his poteris conicere.

Quomodo pueri pueros attraxerint, & de patre, qui domo aberat.

CAPVT XXVIII.

Rafati etenim pueri cum ad suos adolescentes peruenissent, & quomodo ab Episcopo habiti & instructi essent, & quanta apud illum esset disciplina & honestas, quanta pietas & mansuetudo, ruminare ceperunt: mox etiam quantæ munificentæ & liberalitatis circa omnes extiterit, prædicare oblitæ non sunt. Atque in argumentum rei; *Cernite, inquit; hîs indumentis post omnia beneficia sua nos induit; his aureis cingulis honorauit; pecunia sua captiuos redemit suos: impensis eosdem vestit; cibo reficit, & liberos abire dimittit. Quid vnquam simile visum, auditumue in terra Pomeranorum? quid simile Pontifices & Sacerdotes nostri faciunt? hunc certè aliquem visibilem Deum inter homines aduenisse, ipsa gratuita redemptio captiuorum in cippis & compedibus putrefactorum, multos ciues nostros fecerat autumare. Sed ille hoc negans, non Deum se, sed Dei altissimi seruum pro nostra salute ad nos directum dici & credi optat; & anime immortalitatem, & corporum resurrectionem, & æternam vitam gloriam, doctrinans dicit esse Christianorum. quare non credatur ei?*

Hæc & his similia pagana iuuentus à iuuenibus audiens, aspirante gratia Dei, tracta est & attracta per eosdem in eundem fidei feruorem; reuersique ad Episcopum pueri fide recenter imbuti, more columbarum alias trahentium, gregem non modicum adduxere coæuorum, Euangelij rudimenta suscipere cupientium. Quid multa? catechizantur, baptizantur.

Puerorum ad coæuos & Sodalitas suos oratio de pietate & liberalitate S. Othonis.

Pueri baptizati alios ad baptismum adducunt.

1 a zantur.

zantur. Et à pueris, & à iuuenibus cana Patrum prudentia se passa est erudiri: flammaq; fidei paulatim progrediente, concaluit ciuitas vniuersa: neq; iam occultè, vel pauci, sed publice & multi simul quotidie veniebant ad fidem.

*Quid puero-
rum pater?*

Interea præfatæ coniux matronæ, & pater primitiuorum in via domo absens, vbi audiuit, quod vxor & filij, totaq; domus eius, proiecto paganismo, ritu viueret Christiano, mori voluit præ dolore. Sed vxor prouida, cognatos eius & amicos, qui malagma ei consolationis apponerent, obuiam direxit ægroto. Ipsa verò domi, pro illius conuersione preces Domino, & vota non irrita, offerre non cessauit. Itaque reuersus ille, cum non solum domesticos suos, verum etiam alios vicinos, & conciuues suos veterem hominem exutos, in nouitate vitæ conspiceret ambulantes, ad conformandum se illis, Deo visitante cor illius, facile inclinatus est.

*Ipsè etiam ad
fidem conuer-
situr.*

De reditu nunciorum à Duce Polonia, & scriptis eius super tributi alienatione.

CAPVT XXIX.

Seftidus.

** Hæc vox hoc
loco in bonam
partem acci-
piunt.*



Vm ea geruntur in ciuitate, Paulitius & legati tam illorum, quam nostri à Duce Poloniae veniunt, pacti mandata & scripta * Tyranni secundum hæc verba reportantes. Boleslaus omnipotenti Dei fauente clementiâ Dux Polonorum & hostis omnium paganorum, genti Pomeranicæ, & populo Stetinensi promissæ fidei sacramenta seruanti, pacem firmam & longas amicitias; non seruanti verò, eadem & incendia, & aternas inimicitias.

Si occasiones quærerem aduersum vos, iusta esse poterat indignatio mea, quod quasi fidei vestre transgressores vos retrosum abire conspicio: & quia Dominum & Patrem meum Ottonem Episcopum, omni honore ac reuerentia dignissimum, vita & fama in omni populo & gente præclarum, vestre salutis a DEO vero & nostro ministerio destinatum, sicut oportuit, non suscepistis, neq; hætenus secundum DEI timorem illius doctrina obe-

distis